

Tarentum recepisti:» *Certe, inquit ridens: nam nisi tu amisisses, numquam recepissem.* Nec vero in armis praestantior, quam in toga. Qui consul iterum, Sp. Carvilio collega quiescente, C. Flaminio tribuno plebis, quoad potuit, restitit, agrum Picentem, et Gallicum, viritim contra senatus auctoritatem dividenti: augurque cum esset, dicere ausus est: «Optimis auspiciis ea geri, quae pro reipublicae salute gererentur: quae contra rempublicam ferrentur, contra auspicia fieri.» Multa in eo viro praeclara cognovi: sed nihil est admirabilius, quam quomodo ille mortem M. filii tulit, clari viri et consularis. Est in manibus laudatio: quam cum legimus, quem philosophum non contemnimus? Nec vero ille in luce modo, atque in oculis civium magnus: sed intus domique praestantior. Qui sermo? quae praecepta? quanta notitia antiquitatis? quae scientia juris augurii? Multae etiam, ut in homine Romano, litterae; omnia memoria tenebat, non domestica solum, sed etiam externa bella: cujus sermone ita tum cupide fruebar, quasi jam divinarem id, quod evenit, illo extincto, fore, unde discerem, neminem.

V. Quorsum igitur haec tam multa de Maximo? Quia profecto videtis, nefas esse dictu, miseram fuisse talem senectutem. Nec tamen omnes possunt esse Scipiones, aut Maximi, ut urbium expugnationes, ut pedestres navalesve pugnas, ut bella a se gesta, triumphosque recordentur. Est etiam quiete, et pure et eleganter actae aetatis placida ac lenis senectus: qualem accepimus Platonis, qui uno et octogesimo anno scribens mortuus est: qualem Isocratis, qui eum librum, qui Panathenaicus inscribitur, quarto et nonagesimo anno scripsisse se dicit, vixitque quinquennium postea: cujus magister Leontinus Gorgias, centum et septem complevit annos, neque umquam in suo studio atque opere cessavit. Qui, cum ex eo quaereretur, cur tam diu vellet esse in vita? *Nihil habeo, inquit, quod incusem senectutem.* Praeclarum responsum, et docto homine dignum: sua enim